

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Martis, nonâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. XLV.

M. THOMA-RENATO GASNIER, Doctore Medico, Præſide.

An ſenum valetudini tuendæ Balneum?

I.

EA lege natus eſt homo, ut in ejus vitam per omnes ætates innumeri ſæviant morbi, qui nullo penè conſilio vitari poſſunt: vitæ limen ingreſſum, dolor, imbecillitas, impotentia, pro primitiis adoriuntur, querelâ, ſuſpirio, vagitu luculenter expreſſa: pueritiam atque adoleſcentiam excipit ilias moleſtiarum, quæ in juvenili, virilique ætate vires acquirunt eundo: ſcanſili tandem

A

annorum lege obrepit non intellecta ſenectus, in quâ vita morti quotidiè propior eſt, & animam è corpore quaſi manu ſuâ molliter educere natura parat. Vix credere fas eſt ſenectutem eſſe morbum, & ſenes qui ſunt in ſtatu merè naturali, qui naturam optimam ſequuntur ducem, eique parent, σαπρούς, inertes, cauſarios, ἄνους ſeu mentis inopes jure cenſeri: quis non obſervat juxtà judicium divini Platonis, tunc mentis aciem imprimis floreſcere, cum oculus corporeus defloreſcit. Verùm ſenilis ille ſtatus eò calamitoſior, quò ob malè conſtituta naturaliter viſcera, & vitia adoleſcentiæ, plurimis patèt corporis affectionibus, quibus hac ætate provecti, mirum eſt quàm indignis accipiantur modis. His impendentibus Medicus γηροκόμος ſedulò nititur occurrere, dum, quæ eorum ſaluti conducant, Artis operâ parari curat, & quæ nimiùm altis inſita ſunt radicibus, utcumque emendare ſtudet, quæ noxia ſunt & infeſta procul amoveri, ad retardandum ſenium, prorogandamque vitam, cujus diuturnitate, hominis ne metiaris felicitatem, cùm in vitâ longiſſimâ dimidium vitæ edormitur, & ſi adjicias labores, luctus, morbos, pericula, intelliges minimùm eſſe quòd vivitur. Senec. Ep. 99.

I I.

QUEMADMODUM cuilibet anni tempeſtati ſua eſt temperatura, ſic cuilibet ætati ſua eſt temperies. Hæc inſignibus duntaxat principiorum vitæ mutationibus diſtinguenda venit, non annorum numero computanda: ſeriùs ociùs quiſque vitæ terminum attingit ex caloris in humido breviori vel diuturniori permanſione. Homo, quò ortui propior eſt, fluxis humidiſque principiis, ſemine ſcilicet utriuſque parentis, maternoque ſanguine ſatus, eò ampliùs illorum abundantiâ circumfluit: & licèt, ille calor tunc temporis cumulatior ſit & plenior, obtunditur ubertate humoris, qui ſenſim adoleſcendo conteritur: progrediens ætas vigorem ſuum floremque poſſidet & fovet quàm poteſt diutiſſimè. Sed damnoſa quid non imminuit dies? Ætas hæc ſenſim ingraveſcit, & inteſtinâ calamitate pedetentim in pejus ruit. Sic ad ruinam delabens homo, ſiccior & frigidior efficitur, cujus ſcilicet innatus calor actione continuâ fractus, ægriùs ſuas partes tenet: hinc emergit ampla excrementorum congeries, multarum ægritudinum ferax: & ſicut quicquid innati hujus caloris pabulum deprædatur, ſiccitatem inducendo γῆρας promovet, ut in plantis αὔανσιν; ita quicquid accerſit frigus peregrinum, humorem ſuperfluum accumulat, & graviſſimum vulnus infligit ſenili corpori, quo partes ipſius contabeſcunt, vix certo ſtare loco poteſt, nutat, procumbit; tota denique moles occidit.

III.

BONIS ægrorum rebus, ut & convaleſcentium, lavatio totiùs corporis hiſce temporibus cautè inſtituitur: aquâ calidiori enervantur vires & pereunt, ne immoderatiùs utaris? Frigidiori cruditates ſoboleſcunt: in aquâ tepidâ multò ſecurior & tutior. Verùm ne putes omnes aquas promiſcuè ad id opus accommodatas; eligendæ veniunt quæ tenues ſunt, limpidæ, profluentes, apertæ, non limoſæ, non ſtativæ, nec paluſtres aut lacuſtres. Sic à Medicinæ principibus ſalubris fuit judicata lavatio, ſi nihil inde oppoſitum indicetur, raram texturam habentibus, biliofis, melancholicis, cephaleæ quoque, & hemicraniæ levandæ, ſicut & oculorum vitiis, ſterilitati, hæmorrhoïdibus, nec non & febri hecticæ, febribuſque aliis ad declinationem vergentibus, omni demùm intemperiei calidæ viſcerum ſive congenitæ, ſive adventitiæ non exiguo fuit adjumento & præſidio, dum benè penitùs ſeſe in corporis intima inſinuando & permiſcendo, ejus ſquallorem emendare valet, biliofos ſuccos & fæculentos ibi ſtagnantes diluere, & expurgationi parare, & patentibus cutis ſpiraculis fuliginum expirationi viam præbere expeditiorem.

IV.

IS quoque rectè & appoſitè balneum præſcribit, ut ex ejus uſu conſequatur utilitas, qui ad tempus aptum & conveniens potiſſimùm attendit & diſtantiſſimum à paſtu: horrori, & perfrigerationi obnoxios rejiciet; ſingulorum prætereà notam & perſpectam habeat naturam, indolem, ætatem, præter multa alia, quorum omnium diſcrimine, ut & loci & tempeſtatis, rariùs aut crebriùs uſurpandum perſuadeat. Is quoque diligenter exploret primam corporis regionem; nullus ibi ſubſit hypochondriorum tumor, nec alvi fluor immodicus, omnis demùm neceſſarius præcedere debet apparatus, tum victu congruente, tum venæ-ſectione & purgatione idoneâ, ne humores reſidentes quos balneum fundit, in viſcera irrumpant & fluxiones concitent: his cautionibus juniores ſecurè balneum intrent, in iis etenim ætatis vigor omnia habet χαρίεντα; nec in iis deſideratur quidquam omnium quæ ad ſanitatem conſervandam; fugientem retinendam, amiſſam recuperandam conferunt; quorum corpora, blanda vis aquæ ſubiens, horum calorem acriorem temperat, ſpiritus efferos demulcet, & effrænes eorum impetus coercendo, iis cumulat bonis, quæ non tantum εὐεξίαν, ſed robur, integritatem, munditiem totius corporis concilient.

Hippoc. L. de præcep.

V.

Senec. 2. controver. HOMINEM ſenem, quem capitis nives & rugæ turpant, juvenis exultantis more, veneris militiam ambire portentum eſt, ut quem penè funeratum deficiat ſpirituum ampla copia, ipſumque occupet & obſideat uberrimus pituitoſi humoris proventus, quo hujuſce æſtus immoderatos tepere veritati conſonum. Non parum quoque inſolens & intempeſtivum eſſet, ſenem hunc lactatum ſpe & expectatione novi vigoris & vindicandæ vitæ à pleriſque moleſtiis, pravorumque affectuum concurſionibus, ad balneum accedere, cùm jam alterum pedem in Charontis cimbâ habere cenſeatur, & nativus ipſius calor jam fatiſcens, quique ob paupertatem ſûi vix par eſt languentium virium reliquiis fovendis, adducatur in extinctionis periculum, nec recuſet aquæ qualitates multùm ſibi inimicas ſuſtinere: corpus hujuſque ſuccos à priſtinâ ſuâ indole & puritate degeneres, novæ corruptioni objiceret, ventriculi coctio perturbaretur, inſigniter inteſtina laxarentur, & parvo negotio prociderent, flatus interiùs fremerent, colliquatio fieret humorum crudorum, quibus perpetuò ſcatent ſenes, & illuvie ſeroſâ articuli eorum imbuti haud parum noxæ contraherent, & invalida fierent motûs & ſenſûs organa; adeò ut qui extremam vitæ fabulam agens, juniorum ætatem mentiri ſtudet, & meliori loco res ſuas ponere, moleſtaque ſenii tædia hocce præſidio lenire meditatur, auxilia dum requirit, exitium inveniat, & quaſi vitâ ſatiatus ad mortem, maturitate nondum completâ præcipitetur.

Non ergò ſenum valetudini tuendæ Balneum.

Proponebat Pariſiis, JOANNES-FRANCISCUS PARIS, pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1745, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1745.